

III. Verum ex his magistratus, et imperia, postremo omnis cura rerum publicarum, minime mihi hac tempestate cupiunda videntur: quoniam neque virtuti honos datur, neque illi, quibus per fraudem jus fuit, tuti, aut eo magis honesti sunt. Nam, vi quidem regere patriam aut parentes, quamquam et possis, et delicta corrigas, tamen importunum est; cum praesertim omnes rerum mutationes caedem, fugam, aliaque hostilia portendant. Frustra autem niti, neque aliud, se fatigando, nisi odium quaerere, extremae dementiae est: nisi forte quem inhonesta et perniciosa lubido tenet, potentiae paucorum decus atque libertatem suam gratificari.

IV. Caeterum ex aliis negotiis, quae ingenio exercentur, in primis magno usui est memoria rerum gestarum: cujus de virtute, quia multi dixere, praetereundum puto; simul, ne per insolentiam quis existimet, memet, studium meum laudando extollere. Atque ego credo fore, qui, quia decrevi procul a republica aetatem agere, tanto tamque utili labori meo nomen inertiae imponant; certe, quibus maxima industria videtur, salutare plebem, et convivii gratiam quaerere. Qui si reputaverint, et quibus ego temporibus magistratum adeptus sum, et quales viri idem adsequi nequiverint; et postea, quae genera hominum in senatum pervenerint: profecto existimabunt, me magis merito, quam ignavia, judicium animi mei mutavisse; majusque commodum ex otio meo, quam ex aliorum negotiis, reipublicae venturum. Nam saepe audivi, Q. Maxumum, P. Scipionem, praeterea civitatis nostrae praeclaros viros, solitos ita dicere: «cum majorum imagines intuerentur, vehementissime sibi animum ad virtutem accendi». Scilicet non ceram illam, neque figuram tantam vim in sese habere, sed memoria rerum gestarum eam flammam egregiis viris in pectore crescere; neque prius sedari, quam virtus eorum famam atque gloriam adaequaverit. At contra, quis est omnium his moribus, quin divitiis, et sumtibus, non probitate, neque industria, cum majoribus